

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO.

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.




QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè diſcutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis vigeſimâ-ſextâ Januarii, anni M. DCC. XXXVI.

M. ADRIANO MALAVAL,
Doctore Medico, Præſide.

An Apoplexiæ Prægnantium Saphenæ ſectio?

I.



MBRYO rerum *non-naturalium* quaſi ſeptima, cui per novem menſes, Mulier Utero gerens objicitur. Minùs Matri connexus, quàm appenſus, eandem ſæpiùs afficit, ab eâdem afficitur rariùs. Suæ illi ſunt functiones, quarum cauſa & ortus à Matre vix pendent : aliqua tamen eſt inter utrumque convenientia : Mater Fetui dat alimoniæ materiem, vel potiùs apponit; Fe-

tus ſucco nutricio quem admittit, conciliat formam. Liquida Matris in Placentam leniter appellunt; ad eandem liquida Fetûs molliter redeunt; Placenta ideò eſt media *elateris* in Fetu & Matre diſtincti meta. Prægnans diu vivere non poſſet, ſi Infans humorum ad ſe venientium quantitatem non regeret; Infans pariter nec evolvi, nec creſcere poſſet, ſi tenella ſua ſtamina liquidorum vim experirentur. Ubi vel copiâ, vel motu, vel ſubſtantiâ, humor à Matre proveniens vim Embryonis *elaſticam* ſuperat; tunc dehiſcunt, aut rumpuntur vaſcula Placentæ, timorque eſt ne perdatur Fetus. Ubi à partu remanent Secundinæ, tolliturque Embryonis, ex rupto Umbilici funiculo, in uterina vaſa niſus; tunc uberior effluit ſanguis, nunquam ſiſtendus, niſi deciduis, aut amotis Secundinis, timorque eſt ne pereat Mater. Vim Fetûs *elaſticam* demonſtrat ſanguinis circuitus alias ac in Matre agnoſcens leges, planèque diverſus ratione directionis & impetûs. Si ægrotet in ſinu Matris Infans, propriâ ſuâ vi ſemetipſum per Uteri vias ſanat; hùc ſibi ſuperfluum amandat pondus, aliquando aſſumendum; nihil proinde ad tempus à Matre accipiens, in eâ ægritudines excitat eò difficiliores, quòd occupat Uteri viam, quâ vacuâ, quælibet ægrotans ſæpe purgatur criticè. Cuicunque à graviditate morbo ineunti adeſt tantummodo duplex cauſa; prima, ſcilicet Embryo; altera, ſuccus circa Uterum impeditus, ceſpitans, & idcircò ad alias partes refluens. Non ſævit illicò quæ dicitur cauſa continens; adhuc enim reſiſtit in hiſce morbis fibrarum *elater*. Sic in Apoplexiâ Prægnantium, ſola peccat nervorum compreſſio, vaſorumque intumeſcentia. Apoplexiæ vulgari ſimilis eſt, motûs & ſenſûs repentinâ læſione; ſed Cerebri integritate ab eâdem diſcrepat; merè Hyſtericarum affectionum ſervans indolem, ſingulariter ſuadet Saphenæ ſectionem.

I I.

CAUSARUM indagatio primum eſt Medici officium. Illarum omnes debellare nec debet, nec poteſt, nec ſatagit. Dignoſcere tenetur & dijudicare quaſlibet. Diſtinguit igitur alias quocunque remedio fortiores, alias marte proprio delendas, alias ſoli cedentes medelæ: atque in remediorum uſu, ſpecies ſeligit, captat tempora, ſolutiones obſervat. A variis cauſis nec videt, nec exſpectat ſemper diverſos morbos: in diverſis morbis non ſemper

diversas suspicatur causas ; & ob id præcipuè artis suæ miratur mysteria. In Prægnante ingruit raró quæ dicitur fortis Apoplexia, sive insanabilis ; quia intima fibrarum nervosarum in Cerebro vel rigiditas, vel laxitas, raró in Gravidis accidit. Imò, quæ in Viris faustè curantur Apoplexiæ, plerumque debiles sunt, & merè Hypochondriacæ. Ubi in Utero satis est *elateris* ad Fetum suscipiendum & continendum, ibi multò magis adest in Cerebro, ejus membranis, nervisque, sufficiens tonus, ad avertendum idiopathicæ Apoplexiæ impetum. Uteri enim cæterarumque partium *elasticitatem* Cerebrum singulariter moderatur. Hinc verum Hippocratis axioma : * *Apoplexiam fortem solvere impossibile est, debilem verò non facile.* Illa Cerebrum & nervos ab eodem primitùs ortos declarat penitùs pessundatos : hæc nervos Sympathicos, à coalescentibus Pari Vago & *Intercostali* proficiscentes, monet impeditos. Merè debilis judicanda est Apoplexia Prægnantium. In eâ integri sunt quicunque nervi ; sola læditur eorum superficies. Oritur ex eo quod succi ad Embryonem destinati 1. suspendantur. 2. ad vasa sanguinea refluant. 3. eadem distendant. 4. nervi premantur Sympathici. 5. ex consensu, nervi Primarii pari modo afficiantur. 6. in quibuslibet solidis partibus occultè, in Corde verò & Arteriis apertè langueant diastole & systole. 7. mentis & corporis pervertatur æquilibritas. Cessant brevi ista symptomata Saphenæ sectione, quâ recens circa Uterum solius sanguinis redundantia haud cunctanter aufertur.

* *Aphor. II. 42.*

III.

APOPLEXIA Prægnantium à vulgari differt 1. ratione causæ, quæ est antecedens, & ægrè fit continens, nisi morbus iste per aliquot dies invaluerit, vel pluries recruduerit, Mulierve affectibus Hystericis aliis & minoribus fuerit obnoxia. In Apoplexiâ à Cerebro ortâ viget causa continens, deficit aut vacat altera quæ dicitur antecedens, duplicique modo ; nempe vel sopita intùs & ferians, vel præterita suisque tantum præsentibus cognita effectibus. 2. Differt ratione fibrarum nervosarum. Harum *elater* in Apoplexiâ Prægnantium vincit plerumque causam antecedentem, quæ præsens est ; in Apoplexiâ à Cerebro profecta, ipsemet *elater*, antecedentis causæ, sive præsens sit sive absens, impetu prosternitur. Illius symptomata non fluunt à causâ nervis adhærente, sed à causâ quæ ex Utero ad Cerebrum nervosque extrinsecùs propa-

gatur. Utriusque discrimina facilè discernit Medicus. Uterinæ signa sunt : imperfecta palpebrarum conniventia , oculorum nulla torvitas, aliqua visûs obscuratio , minor auditûs læsio , oris nullus nec pituitâ nec vomitione mador , frequens oscitatio , flexuosa artuum pandiculatio , pulsus piger , inanis , in universo corpore absentia rigoris sive Tetani idiopathicæ Apoplexiæ vulgò comitis, sibili & stertoris immunitas. Iste signorum concursus evincit Apoplexiæ causam esse mobilem : arguit item simplex sanguinis circa Uterum pondus, & ad alias partes refluxum : unicè prætereà innuit Saphenæ sectionem , quæ vasa Hypogastrica deplendo reserat ; devium sanguinem per solitum iter , quâ proportione uberiùs, eâdem velociùs ducit ; atque sola liquidum excedens præcisè subtrahendo , aliorum humorum dispares æquat circuitus.

I V.

SAPHENA sectâ , vas secatur parti laboranti proximum. Ut evacuatione menstruâ præsente , aut superveniente , fit nonnunquam supervacanea , quæ secùs necessaria fuisset , Saphenæ sectio ; ita instantibus menstruis , vel deficientibus , eorum feliciter vices gerit. Quæ in Muliere non Prægnante quot-mensibus fit inutilis jactura , eadem (quantitate minor) fit & quotidie & utiliter in Prægnante. Fluxus uterque ab eodem fonte , lymphatico nempe constans succo. Naturâ tenax est , morâ magis lentescit , Uteri fibras onerat , vasa distendit majora , in quorum finibus parit obstructiones , quas sequitur in capillamentis erethismus. Sic duplici obicum genere, Fetûs renixu pertinaciorum , partim lympha spissescit , partim sanguis in amplioribus turget vasis , & ad alia ascendendo refluit, nervos proinde Sympathicos comprimit; & longè faciliùs accersit Apoplexiam , si sit in Prægnante , ex parte temperiei , indigena humorum acrimonia ; ex parte indolis , vivida ad animi affectus propensio. Secta in pede vena reliquum sanguinem brevi vindicat à glutino , vasorum obstructiones tollit , lymphaticorum erethismum delet , liberatque nervos. Dum enim una sanguinis portio liberiùs ad Tibiam appellit , eodem instanti altera faciliùs pervadit Uterum. Uno tenore deplentur truncus Iliacæ & venæ Hypogastricæ. Minora dein , sed paulo post , expediuntur vasa : varii ergo variorum humorum restituuntur itus & reditus. Quàm tuta sit in Apoplexiâ Prægnantium Saphenæ sectio, sequens

comprobat obſervatio. Mulier *Gaſton* dicta, in vico S. Martini Pariſiis habitans, ſtatim à ſerotino paſtu, versùs ſextum graviditatis menſem, paſſa eſt Apoplexiam. Huic, ut mos eſt, volatilia *cochleatim* nequicquam intruſa fuere; urinoſi, quos vocant, ſpiritus ad nares densè & crebrò admoti; quaſſationibus, pugnis, vellicationibus, imò colaphis, ridiculè tunc (quod aliquando lethale eſt) per quatuor circiter horas agitata fuit. Tandem vocatus eſt Medicus, qui jam exarata obſervavit Apoplexiæ ſigna, & præterea artuum inferiorum frigus. Sanguinem è brachio detrahi poſtulabant adſtantes; ejuſdem è venâ pedis horrebant miſſionem, futuram ut pote, ex opinione ſuâ, funeſtam Fetui. Cenſuit aliter Medicus; ſuique conſcius, coram ſe curavit faciendam Saphenæ ſectionem, quam felicem ſentiebat ex pulſu, eò liberiori, quò uberiùs effluebat ſanguis; hanc unam adhibuit; rejecit quæcunque medicamenta; ſolum præſcripſit aquæ tepentis per noctem uſum. Horis vix octo elapſis, Prægnantem ſanitati perfectè reddidit, Fetu remanente ſano, partûſque tempora exſpectante.

V.

CAVENDUM ab Emetico; ſaltem primo inſilientis hujuſce Apoplexiæ die. Humor peccans vaſa capillaria non occupat; per eadem ergo adigendus non eſt. Nondum morboſè crudus aut coctus eſt; Purgatione proinde non indiget. Minuendus occurrit duntaxat ſanguis. Exſulanda, quæ nuncupant, Volatilia remedia, eâdem ratione quâ prohibentur Purgantia & Vomitoria. Saphena vel pluries inciſa ſufficit, cujus efficaciam complet ſola diluens diæta. Secùs, Apoplexia evadit longa, lethalis, *convulſiva*; vel ipſam Abortus comitatur, vel triſtia & immedicabilia nervorum excipiunt incommoda. Totum Medici opus, ad Apoplexiam Prægnantium ſanandam, poſitum eſt in ſervando laceſſitarum partium nervoſarum tono. Non emendanda ſunt liquida: motio unicè compeſcenda. Diligenter obſervandum eſt, an ſolus in Utero verè turgeat ſanguis, an nulla ſit nimis evoluti liquidi corruptio, an nullum, præſertim in Pulmone & Hepate, impedimentum, an quodlibet Abdominis viſcus ſit inflammationis expers. Infantem nec præcipitat, nec occidit Saphenæ ſectio, his cautionibus facta: Uteri enim majora tantum vaſa aperit, minimis verò nullam vim infert: ſic nihil, ſive motûs, ſive ſucci, invitus re-

cipit Fetus; ſic perire, aut aboriri nequit. Quælibet venæ - ſectio quæ ſanguinem in aliquam partem derivat, motu ſuo ad aliquod tempus perſeverante, robur addit ipſi; quo hæc eadem pars ad alias partes ſanguinem uberiùs mittendo, ipſarum facilè vincit *elaterem*. Eo ſenſu, venarum ſuperiorum ſectio menſtrua promovet, partum ciet, abortum excitat. E contra, inferiorum venarum ſectio in Virginibus, antequam ſponte fluxerint menſes, uſurpata, tardat nimiâ derivatione menſtruum ſanguinem, ſimulque Utero niſum dat, quo liquida ſurſum repelluntur: unde infarcta organa vel inſolitos & fugaces ſuſcipiunt motus, quibus morbi naſcuntur Hyſterici; vel ponderi humorum cedunt, morbique cumulantur Cachectici. Longè alios parit effectus Saphenæ ſectio, à primo Apoplexiæ impetu, in Prægnantibus facta: evacuat ex Utero, ſine ullo in ejuſdem fibris roboris augmento: nulla tunc à Medico Naturæ motuum habetur ratio: ſolam arte ſuâ detrahendam meditatur exuberationem ſanguinis, unicam iſtius Apoplexiæ cauſam, integris aliunde, quoad ſolidas partes, viſceribus. Hanc etiam ſanguinis redundationem ſequitur aliquando fibrarum Uteri erethiſmus, ex quo alter morbus naſcitur, deſcriptâ Apoplexiâ gravior. Eſt ſcilicet atrox Convulſio, quæ, vel graviditatis tempore, vel imminente partu, vel poſt puerperium, omne corpus concutit. Uberrimus tunc ſanguis circa Uterum, & idcircò ab eodem magis deflectens, ſed adhuc ſpaſmo negatam affectans viam, citiſſimam ſtatim creberrimamque poſtulat Saphenæ ſectionem, ut ſequentibus conſtat obſervationibus. Mulier dicta *Deſaigles*, manens Pariſiis viâ Templi, gaudens optimâ temperie, ſtatim à partu, quoad Infantem felici, dirioribus & univerſis acta fuit Convulſionibus, lethargicâ mentis alienatione ſtipatis. Interim nullatenùs apparebant Lochia. Intra octodecim horas, ter ſectâ Saphenâ, ceſſavere Convulſiones; Cerebro tamen ſemper gravato, maxillis ſpaſmo rigentibus, oculis, auribus, linguâ ſtupefactis, impoſſibili denique alimenti aut medicamenti liquidioris deglutitione. Ut iſtis, licet extinctâ cauſâ, ſuperſtitibus adhuc ſymptomatis occurreretur, indicabatur eadem ſanguinis detrahendi ratio. Solâ proinde mutatâ venâ, ſex horis ab ultimâ Saphenæ ſectione elapſis, è jugulo amplè detractus fuit ſanguis; & paulò poſt ægra (abſentibus ſemper Lochiis, nec à Medico quæſitis, imò prorsùs neglectis) mali præteriti ignara, ad ſe perfectè rediit. Altera Mulier dicta *Jacquemarre*, viâ S. Dionyſii Pariſiis habitans, ſeptimeſtrem in Utero gerens

Fetum, Convulſionibus triſtioris Epilepſiæ ſimilibus Correpta fuit, cum eo linguæ tumore, quo extra os motu ſpontaneo propelleretur, dentibuſque arietantibus adeò permoleretur, ut abſciſſionis eſſet periculum. Mortuum in Utero Infantem judicavit Medicus. Sancivit Obſtetrici ne Matri admoveret manum: juſſitque Fetum, quem conjecit ſolo Uteri motu exiturum, excipere molliter; Placentamque digitis, intactâ Uteri Vaginâ, leniter trahentibus educere. His ita præſcriptis, miſſus fuit ſanguis è Saphenâ; indeque fluxis tribus circiter horis, abſque ullo Obſtetricis adminiculo, mortuus Infans erupit cum Secundinis, ſolo detruſus ſpaſmorum impetu. Quibus adhuc ſævientibus, & identidem recrudeſcentibus, altera fuit adhibita Saphenæ ſectio, quam, ſex horis interpoſitis, tertia ſequuta eſt. Poſtea, ſemotis quibuſcunque adſtantibus, ſolâ vigilante Miniſtrâ cubiculariâ, obſcurato & pacato quantum fieri potuit loco, cautum fuit Miniſtræ, ut nihil de morbo narraret ægrotanti, prout ſpes erat, brevi loquuturæ, & cur lecto figeretur ſciſcitaturæ. Hæc ſi omittatur cautio, ſubitus morbi nunciati horror eaſdem ſæpe renovat Convulſiones. Intra diem, ſine Lochiorum evacuatione, perfectè convaluit iſta Mulier. Quemadmodum igitur ortarum à recenti ſanguinis circa Uterum plethorâ Convulſionum, ita à fortiori in Prægnantibus, naſcentis ab eâdem cauſâ, ſub Apoplexiæ larvâ, Convulſionis, medela præſens Saphenæ ſectio.

Ergo Apoplexiæ Prægnantium Saphenæ ſectio.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Gabriel-Antonius Jacques.

M. Claudius de la Vigne de Frecheville, Medicus Regis & Domûs Reginæ ordinarius.

M. Joannes-Damianus Chevalier, Pharmaciæ Profeſſor.

M. Claudius Brunet, Rei herbariæ Profeſſor deſignatus.

M. Ludovicus de Santeul.

M. Emmanuel-Mauritius Duverney.

M. Andreas De Laleu.

M. Petrus-Antonius Lepy.

M. Elias Col de Vilars, Regis Conſiliarius & in ejus Caſtelleto Medicus ordinarius.

Proponebat Pariſiis JOANNES ISOARD, Reius apud Gallo-Provinciales, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1736. à ſextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1736.